

**Agrégation de lettres modernes. Version latine. 2013-2014. C. Baroin**

CONCOURS BLANC.

SÉNÈQUE

Le sage et le tyran.

*Sénèque raconte ici deux anecdotes sur Canus Iulius, dont la sérénité n'a pas été altérée par la cruauté de l'empereur Caligula.*

Canus Iulius, uir in primis magnus, cuius admirationi ne hoc quidem obstat quod nostro saeculo natus est, cum Gaio<sup>1</sup> diu altercatus, postquam abeunti Phalaris ille dixit : « Ne forte inepta spe tibi blandiaris, duci te iussi. – Gratias, inquit, ago, optime princeps. » Quid senserit dubito ; multa enim mihi occurrunt. Contumeliosus esse uoluit et ostendere quanta crudelitas esset, in qua mors beneficium erat ? An exprobauit illi cotidianam dementiam ? Agebant enim gratias et quorum liberi occisi et quorum bona ablata erant. An tamquam libertatem libenter accepit ? Quicquid est, magno animo respondit. Dicit aliquis : potuit post hoc iubere illum Gaius uiuere. Non timuit hoc Canus : nota erat Gaii in talibus imperiis fides. Credisne illum decem medios usque ad supplicium dies sine ulla sollicitudine exegisse ? Verisimile non est quae uir ille dixerit, quae fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis. Cum centurio, agmen periturorum trahens, illum quoque excitari iuberet, uocatus numerauit calculos et sodali suo : « Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te uiciesse. » Tum, annuens centurioni : « Testis, inquit, eris uno<sup>2</sup> me antecedere. » Lusisse tu Canum illa tabula putas ? Illusit. Tristes erant amici, talem amissuri uirum : « Quid maesti, inquit, estis ? Vos quaeritis an immortales animae sint ; ego iam sciam. » Nec desuit ueritatem in ipso fine scrutari et ex morte sua quaestionem habere.

---

<sup>1</sup> « *Gaio* » : l'empereur Caligula.

<sup>2</sup> Ici, sous entendre « *calculo* ».